



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
proprietary Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Capvt XIII. Idem a Mutin. Episcopo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

in l. 3. tit. 2. lib. 8. ordin. l. 1. tit. 6. lib. 8. recopil. ubi notavit Azevedo. Nisi mavis dicere, dictæ legis 22. verba esse enunciativa, aliamque esse legislatoris intentionem, adversus quem videlicet debeat dari actio mandati, quando mandatum ce-

lebratur gratiâ mandantis, & mandatarii; & sic principaliter non agi in eo textu de exercitio usurarum permisso, vel non Judæis, argumento textus in l. ex facto 19. ff. de heredib. instir. Clement. unica de prob.

CAPUT XIII.

Idem ^a Mutin. Episcopo.

TUas dudum ex parte tua recepimus quæstiones, quod quidam usurarii tuæ diocesis, quibus dant pecuniam ad usuram, præstare faciunt juramentum, quod usuras non repetant, & super his, quas solverint, nullam moveant quæstionem. Nos igitur inquisitioni tuæ taliter respondemus, ut usurarios ipsos monitione præmissa per censuras ecclesiasticas appellatione remota compellas ante usurarum solutionem ab earum exactione desistere, vel restituere ipsas postquam fuerint perfoluta, ne de dolo, & fraude sua contingat eos commodum reportare, qui ad hoc præstari faciunt juramentum, quod super usuras non valeant molestari.

NOTÆ.

^a **M** *Vinens.*) Ita etiam legitur in tertia col-

lectione, sub hoc tit. 6. 2. De Mutinensi Ecclesia agi in c. 12. de tempor. ordin. & commentarium hujus textus dedi in c. 1. c. debitorum, de jurejur.

CAPUT XIV.

Idem.

Quia frustra legis auxilium invocat, qui committit in legem, statuimus, ut si quis usurarius à nobis literas impetraverit super restituendis usuris, vel fructibus computandis in sortem, nisi prius ipse restituerit usuras, quas ab aliis noscitur recepisse, auctoritate literarum ipsarum nullatenus audiatur.

NOTÆ.

¹ ^a **I**dem.) Ita etiam legitur in tertia collectione *sub hoc tit. cap. 3.* Et cum præsens constitutio sit generalis ab Innoc. III. facta motu proprio, non ad alicujus casus decisionem, aut consultationem, non exprimitur cui dirigatur. Statuit autem Innocentius in præsentis, quod usurarius, qui usuras accepit, & etiam aliis ipse persolvit, si intendat repetere quas persolvit, non prius audiatur, quam ipse restituat quas accepit: atque idem etiam observatur, si fructus pignoris acceperit, nisi enim eos sorti imputaverit, arcetur à repetitione usurarum. Quod etiam observandum esse cum filiis & hæredibus usurarii cautum fuit in *cap. Michael, hoc tit.* Rationem hujus constitutionis assignat Innocentius in illis verbis: *Quia frustra auxilium legis invocat, qui committit in legem: l. auxilium 37. ff. de minor. l. isti 8. ff. de eo quod metus causa, l. scimus, si vero, ff. de jur. delib. c. constitutus, de appellat.* Et æquum est, ut quod juris in alium quis postulat, ipse sibi prius dicat, *l. 1. ff.*

quod quisque jur. Unde si usurarius intendit usuras à se solutas repetere à Scio, prius debet ipse restituere quas accepit à Titio. Quæ constitutio illustrari potest *ex l. in arenam. Cod. de inoffic. testam.* ubi pater arenarius non potest filium arenarium exheredare, quia alteri non potest opponere vitium, quo ipse laborat. *ex c. cum Apostolica, de except.* ubi cum opponeretur agenti ad possessionem præbendæ exceptio pluralitatis beneficiorum ab eo, qui plura beneficia obtinebat, respondit Pontifex, non esse talem exceptionem admittendam, siquidem opponens simili morbo laborabat: notavit Balboa in *c. 2. de except. n. 122.* Si quis tamen alieno nomine, ut pupilli, aut Ecclesiæ, seu universitatis, usuras solutas restitui petat, non potest hac exceptione repelli, quod ipse usuras exegisset, nec adhuc restituisset; nam tunc non repelleretur ille à judicio, sed ille cujus nomine agebat, ut docuerunt Panorm. in *c. Michael, hoc tit. n. 3.* Molina *tract. 2. de just. disp. 334.* Gibal. *lib. 2. de usur. cap. 11. art. 2. num. 8.*

CAPUT XV.

Idem ^a Alissiodorensi Episcopo

Cum in diocesi tua sint quamplurimi usurarii, de quibus maximè dubitatur quin sint usurarii ^b manifesti, contra quos propter timorem Principum, & Potestatum, qui tuentur eosdem, nullus appareat accusator, iidem sunt per sententiam cond.

D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. V.

Hh 2 dem